

III.- DE MATRIMONIO ET FAMILIA : Principia

1.- (Introductio) De matrimonio, quod "sacramentum (misterion)

...magnum est " (Eph. 5, 32) S. Synodus tacere non vult, cum ab ipso ~~est~~ iuxta divinam ordinationem, recte cognito et agnito, tot ac tanta proveniant etiam societati et ipsi Ecclesiae bona (cf. Cath. Romanus

2.- (Matrimonii sacralitas) Ipse Deus creando hominem masculum et foeminam et dando viro adiutorium simile sibi, providit humani generis multiplicationi per matrimonii institutionem (cf. Gen. 1, 27-28; 2, 18-25; Mt. 19, 14). Est igitur matrimonium natura sua bonum atque sacrum. Consequenter etiam ea quae ad sexum pertinent in persona humana a Deo sunt; atque ideo in se etiam illa bona sunt et honesta, ut tenuit et tenet Ecclesia catholica etiam ad proclamandam honestatem et dignitatem ~~regia~~ cuiuscumque legitimi coniugii, ~~licet - autem - sexus - non~~ vitata tamen omni falsa exaggeratione sexualitatis humanae. Licet enim sexus non constituat ~~totum~~ totum hominem et licet ipsa castitas et pudicitia non sit primus valor in vita morali personae humanae, tamen cuique homini officium grave, sed non minus honorificum incumbit servandi et promovendi castitatem per dominium impetus affectusque sexualis, etiam in in ipso matrimonio. Quo^d dominio^{um}, iuvante Dei Gratia, est possibile et eo mediante caro et sensus rationi debite subiciuntur et persona humana ad altiora evehitur. Sic per castitatem et pudicitiam relatio sexuum eorumque commercium ita nobilitantur, ut digna sint homine ad imaginem Dei creati. Magis autem natura sacra sexualitatis humanae et legitimi coniugii firmatur et elevatur in ~~matrimonio~~ baptizatis in eorumque matrimonio.

2, 2-4

3.- (Matrimonii sacramentalitas) Iesus Christus enim matrimonium restauravit in sua unitate et indissolubilitate illudque ad Sacramenti dignitatem elevavit. Hac autem indole sacramentali tanta est sponsorum christianorum dignitas, nobilitas et splendore, ut ipsi ~~non tantum~~ purissimam atque foecundissimam unionem Christi cum Ecclesia repraesentant; ~~sed~~ ^{et} revera in proprio suo statu symbolum ^{et testes} esse possunt atque debent gratiae et caritatis Salvatoris, etiam ad bonum totius societatis humanae.

2, 12-17

4.- (Fines matrimonii) Matrimonium inservit Ecclesiae et societati humani in primis propter suos fines obiectivos divinitus statutos. Ordinatio enim prima ipsius matrimonii, spectata ipsa sola natura, est ad prolem gignendam per actus naturaliter aptos etiamsi particulare matrimonium foecundum non sit; atque ad prolem educandam. Hunc finem persequendo persona humana cum Deo, per paterni-

2

tatis et maternitatis dignitatem, sociam confert operam ad humani generis propagationem et educationem. Alii etiam fines obiectivi, ex indole ipsius matrimonii oriundi, sunt mutuum adiutorium solatiumque in vitae domesticae communione et remedium, quod dicitur, concupiscentiae. Qui alii fines, ^{natura sua} ~~est~~ illo primo inservientes ~~acquiescent~~ ~~ne~~ debite intenti vera iura etiam ipsi constituunt; et ideo non pavipendendi neque spennendi, sed debito modo in vera charitate promovendi.

5.- (De caritate coniugali) Supra enim omnia iura obligationes et virtutes in vita coniugali, proprium principatum tenens, splendet caritas, quae ~~est~~ etiam in vita coniugali alias leges supponit et implet, immo complet et elevat, monente Apostolo: "Viri diligite uxores vestras, sicut et Christus dilexit Ecclesiam" (Eph. 5, 25). Quapropter amor christianus coniugalis non tantum excellat oportet gloriosis insignibus caritatis, ab Apostolo exaltatis (cf. I Cor. 13, 4-7), sed quantum fieri potest imitari debet, suo modo, amorem Christi erga Ecclesiam (cf. Eph. 5, 28), sanguine acquisitam (Act. 20, 28). Est igitur caritas amoris coniugalis perfectio ac plenitudo; nam etiam de statu matrimoniali valet verbum Domini plenitudinem legis esse dilectionem (cf. Rom. 13, 10).

6.- (De consecrariis ^{caritatis} ~~practicis~~) Amor verus et caritas coniugalis, praeter quam aliae virtutes, exigunt ut non solum gravissime vitetur amor ille, quem liberum vocant vel sic dictum matrimonium ad experimentum et ad tempus; sed ut omnia, quae praecedunt vel concomitant ipsam vitam conjugalem, in spiritu sacrificii, castitatis et charitatis fiant. Oportet ut bonum sacramenti, quod in suo aspectu, praecellens est, servetur et promoveatur, graviter vitata antea ~~matrimonium~~ ~~monium~~ quacumque unione mere, civili quae contradicat legibus irritantibus Ecclesiae, et postea servetur et promoveatur vinculum, graviter vitato divortio civili, quoad ipsum vinculum cuiusvis matrimonii validi initi, cum circa hoc auctoritas civilis nullam habeat potestatem. In ipsa autem intimitate coniugali omnia facienda sunt secundum ~~creata~~ naturam, in casta fidelitate et in charitate, vitato onanismo coniugali. Circa autem bonum prolis, quod primum est respectu primigeniae institutionis divinae, sancte servetur ~~iam~~ ~~in~~ ~~caeptis~~ ^{us} ~~processu~~ ^s conceptionis humanae, et nemini liceat foetus nondum nati directam destructionem operari, vel ipsius prolis quamcumque ^{sive ut ~~est~~ finem sive ut medium} ~~intentam~~ et directam occisionem, quamvis peragatur per abortum therapeuticum procurata. Haec omnia graviter offendunt Deum et privant eos, qui illa operantur, gratia et benedictione Dei.

3

7.- (Dignitas familiae) Origine, natura sua et fine, sicut matrimonium ex quo legitime oriri debet, familia est sacra et pro christianis sancta, qua sanctitate familia christiana prae aliis splendet.

8.- (Familia vera societas) Familia vera societas est, alias societates naturales per se antecedens, licet ab his, ut proprios fines reapse consequi valeat, iuvari et promoveri possit ac debeat. Immo familiae est, et usque ad finem saeculorum erit, societas cuique homini, in quocumque ordine sociali, necessaria et inviolabilis, aliarum societatum principium et praesuppositum, propria unitate spirituali et morali, iuridica atque oecconomica praedita.

9.- (Auctoritas in societate domestica) Vir et mulier tamquam personae humanae, eiusdem aequalitatis coram Deo, plena iurium aequalitate gaudent in iis quae constituunt contractus matrimonialis essentiam. Vir tamen naturaliter praestit toti familiae, uxori nempe, ut sociae peculiariter honorandae et diligendae, liberis autem qui enutriendi et educandi sunt. ~~Sicut autem auctoritas patris~~ Quamvis mulier subiecta sit viro (cf. Eph. 5, 22-24) tamen ut mater propriam etiam habet in filios auctoritatem, patris auctoritati subordinatam. Immo vices viri in gerenda familia uxor habet, si forte ille officio suo satisfacere non possit. Parentes ~~igitur~~ sint fortes et suaves: si vero mites fuerint, Deus eos docebit vias suas (cf. Ps. 24, 9) ut et ipsi filios conducere valeant in via Domini. Sicut autem auctoritas patris amore informari oportet, sic oboedientia uxoris filiorumque sit amoris obsequium. Vitebatur igitur error, quo primatus patris despotice concipiatur et exerceatur neque mulier concipiatur ~~et~~ vel habeatur veluti ancilla quibuslibet ~~meritis~~ viri placitis subiecta.

10.- (Responsabilitas parentum quoad numerum filiorum)

Parentum reapse christianorum, hodie praesertim, veluti signum distinctivum esse debet generosus ille et ad normas virtutum christianarum conformatus agendi modus, quo circa filiorum numerum et recte sentiant et factis congruenter se gerant. Minime utique ignoret S. Synodus quot et quantae difficultates, hac in re gravibus coniugibus occurrere possint. Universim ideo docet e lege divina, naturali vel positiva, ad numerum filiorum in unaquaque familia habendum quod attinet, non esse universalem normam, sed in singulis casibus ponderandum esse, quid conditiones individuales, bonum totius familiae et societatis innuant, iuxta dictamina prudentiae christianae, cum aliis etiam virtutibus connexae. In suis igitur.

particularibus consiliis capiendis fideles ne moveantur solis considerationibus temporalibus et materialibus, sed in primis supernaturalibus, ac luce rationis et fidei ducantur. Et, ut christianos decet, in ipsa numerositate prolis mensuranda, memores sint Providentiae divinae, qua omnia sapienter ordinatur.

11.- (Familia et societas civilis) Auctoritas civilis, sive nationalis sive internationalis, propriis organis et mediis, ius et munus habet servandi, defendendi et promovendi bona familiae, ipsam etiam positive iuvando, praesertim in filiorum sustentatione et educatione, iuxta exigentias boni communis.

12.- (Familia et Ecclesia) Parentum sanctum est, praesertim verbo et exemplo, prolem propriam educare, ^{cum} non solum quoad naturalia et terrena, ~~sed~~ praesertim quoad supernaturalia et aeterna. Unde in primis ipsi parentes, ^{etiam} ex debito officio erga ipsam prolem, ^{curare} debent ut non tantum neonati quam primum fieri poterit in vita supernaturali renascantur, ^{curare debent} sed etiam ut iam a prima aetate religiose educantur, praesertim quoad elementa religionis christinae rectamque observantiam legis evangelicae. Ius est igitur Ecclesiae, independens et inviolabile a quacumque potestate humana, educationem christianam impertiendi, per suos magistros et scholas, non solum filiis familias sed etiam ipsis parentibus, praesertim ad ipsorum instructionem, ut christiane implendis proprii status obligationibus pares sint. Matrimonium enim ipsum et familia eo quoque spectat ut crescat corpus Ecclesiae numerusque electorum augeatur.